minus loquamur. De hoc numero sunt illi qui agnum sequuntur, qui uestimenta sua non coinquinauerunt; uirgines enim permanserunt. Obserua quid significet coinquinauerunt; ego non audeo exponere, ne heluidius calumnietur. Quod autem ais quasdam esse uirgines tabernarias, ego tibi plus dico esse in his et adulteras; et quo magis mireris, et clericos esse cauponas et monachos impudicos. Sed quis non statim intellegat nec tabernariam uirginem, nec adulterum monachum, nec clericum esse cauponem? Num quid uirginitatis culpa si simulator uirginitatis in crimine est? Ego certe ut praetermissis aliis ad uirginem ueniam, quae institoriae exercet artes, nescio an corpore, quod scio spiritu uirgo non maneret. Rhetoricati sumus et in morem declamatorum paululum lusimus. Tu nos heluidi coegisti, qui in tanto euangelio choruscante eandem uis esse gloriam uirginum et maritarum. Et quia arbitror te ueritate superatum ad detractationem uitae meae et maledicta conuersurum, solent hoc et mulierculae facere, quae uictoribus dominis maledicunt in angulis, illud dico: praeueniens gloriae mihi tua fore conuicia, cum eodem quo mariae detraxisti ore me lacereris, et caninam facundiam seruus domini pariter experiatur et mater.

EXPL ADVERSUS HELVIDIVM

# HIERONIMUS AD UIRGINES HERMONENSES

Cartae exiguitas indicium solitudinis est, et idcirco longum sermonem breui spatio coartaui, quia et uobiscum uolebam prolixius loqui, et angustia scedulae cogebat tacere. Nunc igitur ingenio est uicta paupertas. Minuta quidem litterae, sed confabulatio longa est. Et tamen in hac necessitatis articulo animaduertite caritatem, cum me nec penuria scribendi ualuit prohibere scribere. Uos autem ignoscite obsecro dolenti. Dico enim laesus, dico lacrimans et irascens: ne unum quidem apicem totius uobis tribui officium praestitistis, scio quia nulla communio luci et tenebris est, nulla cum ancillis dei peccatori societas. At tamen et meretrix domini pedes lacrimis lauat, et de dominorum mensa canes edunt, et ipse saluator non uenit uocare iustos sed peccatores; non enim egent sani medico, et magis uult paenitentiam peccatoris quam mortem, et errantem ouiculam suis humeris refert, et prodigum filium reuertentem excipit laetus pater. Quin potius apostolus ait: nolite iudicare ante tempus. Tu enim quis es qui alienum seruum iudices? Suo domino stat aut cadit. Et qui stat uideat ne cadat. Et inuicem onera uestra portate. Aliter sorores carissimae hominum liuor, aliter christus iudicat.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG BLB Badische Landes-Bibliothek HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0025